BIBLIA LATINA
1. Viertel 12. Jh. Seite 173r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36484
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



tuus & ancilla. leuites quoque & aduena. & pupillus et uidua.
qui intra portas tuas sunt. Septem diebus domino deo tuo festa cele
brabis in loco quem elegerit dominus. benedicetque tibi dominus deus tuus
in cunctis frugibus tuis. & in omni opere manuum tuarum. erisque in
leticia. Tribus uicibus per annum apparebit omne masculinum
tuum in conspectu domini dei tui in loco quem elegerit. In sollempnitate
ad himorum. & in sollempnitate ebdomadarum. & in sollempnitate
tabernaculorum non apparebit ante dominum uacuus. sed offeret unus
quisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem domini dei sui quam
dederit ei. Iudices & magistratus constitues in omnibus portis
tuis quas dominus deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas. ut iudi
cent populum iusto iuditio. nec in alteram partem declinent. Non
accipies personam nec munera. quia munera excecant oculos
sapientium. & mutant uerba iustorum. Iuste quod iustum est persequeris.
ut uiuas & possideas terram quam dominus deus tuus dederit tibi. Non plan
tabis lucum & omnem arborem iuxta altare domini dei tui. nec faci
as tibi atque constituas statuam. quem odit dominus deus tuus. Non immolabis
domino deo tuo bouem & ouem in quo est macula aut quippiam uitu. quia ab
hominatio est domino deo tuo. Cum reperti fuerint apud te intra unam · C.xvii ·
portarum tuarum quas dominus deus tuus dabit tibi uir aut mulier qui faci
unt malum in conspectu domini dei tui ut transgrediantur pactum illius
ut uadant & seruiant diis alienis & adorent eos. solem. et
lunam. & omnem miliciam celi quem non precepi. & hoc tibi fuerit nun
ciatum audiensque inquisieris diligenter. & uerum esse repereris ab
hominationem factam esse in israel. & duces uirum ac mulierem qui
rem sceleratissimam perpetrauerunt ad portas ciuitatis tue &
lapidibus obruentur. in ore duorum uel trium testium peribit qui interficietur.
Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium. Manus testium
prima interficiet eum. & manus reliqua populi extrema mittetur. & au
feres malum de medio tui. Si difficile & ambiguum apud te iu
dicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem. inter causam et causam.